



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

Sect. 1. Vtrùm possit homo condignè satisfacere pro peccatis propriis?
referuntur varię sententię.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

SECTIO VIII. *Vtrum purus homo possit condignè satisfacere pro peccatis aliorum?*



*Incarnatio
vtriusque
sua fuerit
ad satisfactio-
nem condi-
gnam.*

VBI MVVS, non satisfacisse Christum Dominum ex rigore iustitiae commutativae pro peccatis, nec ad hoc fuisse necessariam, vel vtilem Incarnationem. Restat, an fuerit necessaria ad condignam satisfactionem? ubi duo potissimum examinanda erunt. Primum, an purus homo possit condignè satisfacere pro peccatis propriis, vel alienis; de quo dicemus in hac disputatione. Secundò an Christus condignè satisfecerit pro peccatis; de quo dicemus disputatione sequenti. Loquimur autem iam de satisfactione, non prout significat solutionem alicuius debiti ex iustitia, seu restitutionem eius, quod ablatum est; (de hoc enim egimus satis satisfactio significat condignam Dei placationem, seu facere satis, ut Deus ex peccato rationabiliter aversus ab homine, placetur, & iam non sit rationabiliter aversus. nam licet homo non fuerit Deo iniurius; potuit tamen Deus rationabiliter averti ab homine propter peccatum, & tunc relinquatur locus satisfactioni; sicut etiam contingit in humanis. v. g. Petrus de me optimè meritis venit ad concubum, postulans beneficium cum aduersario aequè digno; exquirat meum suffragium, & ego leuitate ductus relinquo Petrum aequè dignum, & eligo Paulum, cui nullo gratitudinis, vel alio titulo adstringor; sanè Petrus apud omnes prudentes rationabilem habet causam offensionis, & aversionis à me, donec illi condignè satisfaciam; non quidem ex iustitia, quia iniuriam non feci, nec ex iustitiam quicquam debeo, sed tamen moraliter habet de me rationabilem querelam quam dum per condignam satisfactionem non aufero, aëstimator moraliter debitor illius aversionis, & offensionis passivae; haec tamen auferitur per condignam satisfactionem, id est, faciente me per obsequia, & bona merita quantum satis est apud prudentes, ut Petrus iam non maneat rationabiliter aversus. Sic etiam licet Deo ex peccato nihil debeam ex iustitia, manet tamen Deus rationabiliter aversus à me, quae aversio tandiu rationabiliter durat, quandiu non praesto, quod sufficit apud prudentes ad Deum condignè placandum, seu ut iam non sit rationabiliter aversus.

Advertendum.

Advertendum item est, dupliciter potuisse Deum placari erga peccatorem. Primò ita ut reconciliaretur cum ipso, eum in pristinam amicitiam, & gratiam reuocando; quod fit per iustificationem, & gratiae infusionem. Secundò potuit Deus placari, habendo se deinceps quasi negativè cum homine, hoc est, deposita animi aversione, & offensione; non tamen eum positivè ad amicitiam reuocando, quod inter homines fieri consuevit: suppono enim ex materia de poenitentia, & iustificatione, posse Deum condonare peccatum de potentia absoluta sine infusione gratiae; & quidem satisfactio in rigore satisfactionis ad hoc tendit, ut qui rationabiliter aversus erat, iam non maneat aversus, & de hoc secundo genere

satisfactionis inquirimus, an potuerit praestari à puro homine, an à solo Christo?

SECTIO I.

Vtrum possit homo condignè satisfacere pro peccatis proprijs? Referuntur variae sententiae.

Non agimus de satisfactione pro peccatis; de hac enim infra dicemus, sed de satisfactione pro culpa, id est, quae satis esset ad placandum Deum erga hominem, licet alioquin remaneret debitum poenae; sicut modò de facto requiritur omnino culpa mortali, vel veniali, manet debitum poenae saltem partialis.

Prima ergo sententia affirmat, quam docuerunt alicui adducti à Vazquez in praesenti, disputat. 2. cap. 1. & à Suarez disput. 4. sect. 9. in princip. Fundatur potissimè hac sententia in hoc, quod peccati malitia, quantaunque illa sit, non est infinita, sed finita. ergo non repugnat, tot tantaque obsequia praestari ab homine, quae in prudentum aestimatione compensare possint offensam priorem, & quibus exhibitis Deus iam non censetur rationabiliter aversus, & inimicus homini. Imò talis videtur esse contritio perfecta, quia homo se, suaeque diuino obsequio dicat, & Deum omnibus bonis, & commodis praestet.

Communis, & vera sententia negat, non solum loquendo de satisfactione ex rigore iustitiae, (de hac enim iam diximus in superioribus) sed etiam loquendo de satisfactione aequali per condignitatem, & valorem moralem ad placandum Deum offensam. Auctores huius sententiae vide apud Suarez, & Vazquez ubi supra, qui eam etiam amplectuntur cum omnibus recentioribus Theologis. Praecipuum fundamentum sumitur ex Scriptura, & Patribus passim dicentibus, necessariam fuisse satisfactionem Christi ad perfectam redemptionem generis humani, quorum verba commodius adducentur infra sect. 8. ubi videbimus, an purus homo possit satisfacere pro alienis peccatis. Probat autem eodem modo non posse satisfacere pro propriis; nam si vnusquisque pro se posset satisfacere, non fuisset necessaria satisfactio Christi ad nostram perfectam liberationem; singuli enim possent se perfecte liberare saltem ex gratia Dei.

Difficultas huius questionis tota est in reddenda ratione sufficienti huius impotentiae. Aliqui enim eas reddunt, quae pariter probant de satisfactione Christi non fuisse etiam aequalem. Durandus apud Vazquez ubi supra num. 35. probat, quia pro beneficiis à Deo acceptis non possumus aequaliter habere gratiam; ergo nec aequaliter satisfacere pro offensis; par enim videtur esse ratio in vtraque obligatione.

Haec ratio facile reiicitur, quia quando agimus gratias pro beneficiis, ipsa gratiarum actio est nouum beneficium, pro quo restat debitum gratitudinis, quod in satisfactione pro peccato locum non habet; cum ipsa non sit nouum peccatum, pro quo restet satisfaciendum. Vide alias impugnationes apud Vazquez.

Secunda ratio eiusdem Durandi est, quia homo non potest condignè satisfacere Reipublicae.

Sententia aliorum affirmans. Vazquez. Suarez.

2. Negans communis & vera.

Difficultas in reddenda sufficienti ratione huius impotentiae. Ratio Durandi prima.

Reiicitur.

4. Ratio secundae.

ca pro delicto, quo mortem corporis meretur; ergo nec pro peccato mortali, quo meretur mortem animae.

Respondeo facile negando antecedens: tot enim, & tanta obsequia posset homo ille Regi, vel Republicae contra hostes praestare, ut condigne mereatur veniam prioris delicti. Vide alias leniores rationes apud Valquium *vbi supra*, qui eas facile impugnat.

Tertia ergo ratio est eiusdem Vasq. *cap. 5.* & aliorum recentiorum, qui dicunt, ideò non posse hominem satisfacere pro peccato totaliter, quia ipse actus contritionis, seu satisfaciendi ex natura sua, & essentialiter, supponit iam remissum gratis debitum peccati quoad aliquam partem; nam homo per peccatum mortale contraxit debitum condignum carenti non solum gratia habituali, sed etiam quolibet auxilio congruo, seu gratia praevientem efficaci ad actum contritionis, seu satisfactionis; cum ergo nostra satisfactio supponat iam condonatum debitum peccati quoad istam partem, non potest esse perfecta satisfactio in ratione satisfactionis, siquidem habet necessariò admixtam condonationem debiti gratuitam quoad aliquam partem. Christus autem satisfecit totaliter, quia satisfecit etiam pro hoc debito, quod habebamus carenti auxilio congruo, & meruit nobis primam gratiam praevientem, pro cuius carentia nos nullo modo satisfacere possemus.

Hanc sententiam impugnem, aduerto, non esse nunc quaestionem, an contritio sit forma ex se sufficiens ad tollendam maculam peccati, ut concedit P. Vasquez (haec enim quaestio pertinet ad materiam de iustificatione,) sed solum an ideò contritio non sit condigna satisfactio pro peccato, quia supponit condonatum debitum carenti primo auxilio congruo. In quo non placet praedicta solutio, quia, ut supra dixi, non est praesens difficultas de satisfactione pro peccato, sed praecise pro culpa nostri peccati; an possit homo satisfacere condignè pro culpa; posset enim contingere remitti culpam non dimissa peccato; imò è contra non videtur improbabile posse de potentia absoluta remitti debitum peccati non remissa culpa; de quo in materia de iustificatione. Pro nunc suppono, debitum culpae habitualiter manens consistere in eo quòd peccatum praeteritum moraliter maneat in ordine ad reddendum Deum rationabiliter auersum à peccatore; quae permanentia tollitur, vel per condonationem ipsius Dei, vel per condignam, & sufficientem placationem, & satisfactionem, qua posita iam Deus non sit rationabiliter auersus ob culpam praeteritam.

Hoc ergo supposito, licet condonato debito carenti primo auxilio, censetur condonata pars aliqua peccati debita ex peccato; culpa tamen in ratione culpae nullo modo censetur condonata, alioquin post collationem illius auxilij, & ante actum contritionis non esset in homine integra ratio peccati, & culpae habitualis, quod est valde absurdum; ergo etiam condonato illo debito carenti primo auxilio, manet integrum debitum culpae, ut culpae; ergo qui satisfacit pro toto illo quod tunc manet, satisfacit planè pro culpa

in ratione culpae aequaliter, & de condigno; sed per te per contritionem satisfacere potest homo pro toto illo praeter debitum carenti primo auxilio. ergo potest satisfacere adaequatè pro culpa, ut condistinguitur à debito peccati; ergo simpliciter, & absolute potest purus homo saltem ex viribus acceptis à Deo liberare se, & redimere condignè à peccato. Sicut Christus dicitur redimere hominem simpliciter, & absolute, & liberare eum à peccato, licet post dimissam culpam propter Christi merita maneat pars peccati solvenda in purgatorio: ergo similiter licet aliqua pars peccati fuisset prius remissa; si tamen homo postea satisfacit, & se condignè redimit à culpa, dicitur simpliciter, & absolute se condignè à culpa redimere, saltem ex viribus gratiae praevientis à Deo acceptis, & per consequens simpliciter & absolute verum erit, purum hominem diuino auxilio praeventum posse condignè pro suo peccato satisfacere.

Confirmatur primò, quia tota impotentia puri hominis satisfaciendi condignè pro culpa consistit per te in eo, quòd non potest habere auxilium congruum ad actum contritionis, nisi gratis donetur à Deo; sed etiam Christus non potest satisfacere sine praevia cogitatione data à Deo ad volendum satisfacere, quam cogitationem non habuit à se, sed à Deo gratis; ergo sicut Christus adhuc dicitur simpliciter posse satisfacere condignè pro peccatis, quia nimirum adhuc posita illa cogitatione, remanet tota culpa, pro qua debeat satisfieri; ita purus homo dicitur simpliciter posse satisfacere, quia adhuc posito illa auxilio congruo, remanet tota culpa, pro qua potest satisfacere condignè.

Dices, Christus non habebat debitum carenti illa cogitatione, sicut peccator habet.

Sed contra, quia hoc discrimen per accidens se habet ad propositum; hoc enim solum probat, collationem illius auxilij respectu hominis esse condonationem alicuius peccati debita homini, non verò respectu Christi. Caeterum adhuc condonata illa peccato homini, manet integra tota culpa; ergo sicut Christus post acceptam illam cogitationem satisfacit pro culpa hominum totaliter, quia inuenit eam totaliter existentem; ita etiam peccator post condonationem illius satisfacit condignè pro tota culpa, quia totam illam inuenit existentem, & nullo modo condonatum in ratione culpae.

Confirmatur secundò, siquidem malitia peccati finita est, ut nobiscum admittit P. Vasquez; non meretur poenam infinitam in intensione; ergo potuit Deus peccato huius hominis designare poenam sensus integram ut quatuor, & rursus pro illa carentia auxilij, quam mereri poterat, designare alios duos gradus intensiois in poena, ita ut de facto non mereretur carentiam auxilij, sed poenam intensam ut sex, commutata carentia auxilij in aliud genus poenae aequivalentis. Cur enim non potuit Deus hoc facere? Ecce tunc collatio auxilij huic homini facta non includeret condonationem alicuius peccati; maneret enim homo adhuc dignus poena intensa ut sex, quae adaequat totam dignitatem huius peccati; ergo hic homo potest per contritionem satisfacere adaequatè, & condignè pro toto debito peccati.

Secundò

Confirmatur.

5
hinc terra
Vasq.

6

Impugnatur
in
omni
modo.

7

8

Effugium.

Emeritur.

9

10
Impugnatur
secundò.

Secundò principaliter impugnari solet hæc sententia; quia si contritio posset satisfacere pro peccato, excepto illo debito auxilij; ergo contritio esset forma de se sanctificans, & mundans à macula peccati, quod est absurdum.

Verùm, licet hæc impugnatio solida sit, & non nisi falsò concedatur illa dignitas in actu contritionis; non tamen possumus illud in præfenti pro dignitate probare, quia pertinet ad materiam de iustificatione, vbi ex Tridentino, & aliis rationibus probatur, contritionem non posse formaliter adequare debitum peccati remanens, etiam post collationem auxilij, nec formaliter animam mundare, ex quo fit, non posse satisfieri per contritionem toti debito remanenti etiam post donatum auxilium.

11
Obiectio.

Obiicies pro P. Vázquez, quia contritio placet Deo tantum, quantum displicuit peccatum, nam sicut per peccatum homo prætulit creaturam Deo; sic per contritionem præfert Deum omnibus creaturis, & sibi ipsi, ergo per contritionem ponitur quantum sufficit ad placandum Deum condignè pro culpa præterita.

Solutio.

Respondetur faciliè, negando antecedens: siue enim peccatum habeat malitiam infinitam, siue finitam, (de quo *secciónem sequenti*) magis displicet Deo peccatū, quam placeat contritio, saltem in genere moris; plus enim est vilissimam creaturam audere contra infinitum creatorem, quam exhibere illi subiectionem mille titulis debitam. Quare Anselmus *lib. 1. Cur Deus homo c. 20.* dixit contritionem quasi nihil esse pro debito; & ad finem capitis addit, propter passionem Christi fat esse pro peccato, non sine eius meritis.

Anselm.

12
Ensafo.

Dices: Tantum vult Deus carentiam peccati, seu peccatum vitari, quantum odit existentiam peccati, vt patet ex terminis, sed posito præcepto amoris peccatum vitatur per actum dilectionis, formaliter loquendo; ergo tantum placet Deo fieri tunc actum dilectionis; quantum displicet ei violatio præcepti; idem enim est in prædicto casu fieri actum amoris, & præceptum non violari, seu peccatum non fieri, sicut idem est fieri peccatum, & dilectionem non elici; ergo saltem in prædicto casu tam placet Deo actus amoris, quam displicet peccatum; sicut tam placet ægroto salus, quam displicet ægritudo; ergo tantam bonitatem habet actus dilectionis, ratione cuius Deo placeat, quantum malitiam habet peccatum, ratione cuius displiceat.

Præcluditur.

Respondeo, in actu dilectionis instante præcepto, considerari posse duplicem bonitatem Deo placentem; nimirum bonitatem moralem, & bonitatem quasi physicam, seu mixtam. Si loquamur de bonitate morali, hæc non est tanta in dilectione, quanta est malitia moralis in omissione dilectionis. Hæc enim bonitas moralis, est æstimabilitas quædam moralis, ratione cuius homo ille laude dignus est, & præmio: sicut malitia moralis est æstimabilitas, ratione cuius ille homo vituperio dignus est, & supplicio. Contingit autem sæpius plus mereri hominem supplicij aliquo actu, quam laudis, & præmij per actum oppositum, vel è contra, v. g. qui Regem occideret, extremo supplicio, & infamia dignus esset; qui tamen Regem non occidit, exigam laudem, & nullum præmium meretur. Item qui Regem præfentem non coleret, dignissimus

esset supplicio, qui coleret, nullum præmium compararet. Quod totum fundatur in regula rationis recte dictantis, maiorem malitiam esse in illa occasione, quam bonitatem moralem in eius omissione, & plus ponderis habere ad displicendum illud peccatum, quam bonitatis moralis ad placendum eius omissionem. Sic ergo contingit in dilectione Dei præcepta, & eius omissionem; plus enim meretur vituperij, & supplicij omisso actus præcepti, quam laudis exhibitio actus, quo quidem exhibitio adhuc dicere possumus, *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Loquendo ergo de bonitate, & malitia morali, non est tanta bonitas in actu contritionis, quanta malitia in peccato.

13

Ceterum possumus adhuc considerare in actu illo dilectionis bonitatem quasi physicam, seu mixtam; hoc est, entitatem illam, per quam formaliter excludit peccatum, & secundum hanc rationem fateor, Deum sibi tantum complacere in eo actu, quo formaliter vitatur peccatum, quantum displicet illi peccatum; hæc tamè complacentia non est ratione æqualis æstimabilitatis moralis, quam habeat ille actus, sed ratione conducentiæ, qua conducit ad tollendum malum peccati, quæ sunt valde diuersæ considerationes: sicut Rex plurius physicè æstimat, quod eius subditi eum non occidant, quam quod strenuè se in prælio gerant; ceterum plurius æstimat moraliter hoc secundum, quam primum; hoc est, in ordine ad laudem, & præmium subditorum plurius æstimat, quod prælienter strenuè, quam quod eum non occidant. Sic etiam Deus quasi physicè plurius æstimat actum valde remissum, quo impletur præceptum, & vitatur peccatum, quam alium intentum consilij; quia tam placet carentia peccati, quam displicet peccatum; ceterum moraliter, seu in ordine ad retributionem, & præmium plus æstimat actum egregium perfectionis, & consilij, quam actum remissum, quo vitatur peccatum veniale. Alioquin maioris meriti esset velle non furari vnum ouum, quam velle fieri religiosum; ergo fatendum, est non habere tantam æstimabilitatem moralem carentiam peccati coram Deo, quantum alius actus egregius, licet habeat maiorem æstimabilitatem quasi physicam, hoc est, licet Deus absolute præferat carentiam peccati actui egregio, non tamen relatiuè in ordine ad retributionem, & laudem, quia licet in se sit melius, & appetibilius carere peccato, quam elicere alios actus egregios, non tamen est æstimabilius moraliter, seu plus obligans ad laudem, & præmium operantis, sed multo minus.

14
Effugium.

Dices, bonitas illius actus, ratione cuius tantum amatur, quantum displicet peccatum, est bonitas in genere moris; nam ratione illius opponitur malitia morali, & ideo est amabilis tanta amabilitate, quia excludit malitiam moralem; ergo non solum habet tantam æstimabilitatem physicam, sed etiam moralem, quantum peccatum.

Diluitur.

Respondeo, bonitatem, seu æstimabilitatem illam non esse moralem, id est fundatam in bonitate morali ipsius actus; sed esse moralem quasi negatiuè, quatenus tollit malitiam moralem peccati, ad quam tollendam non est necessaria bonitas moralis; potuit enim vitari peccatum per physicam inaduertentiam, vel per subtra-

subtractionem concursus; & ideo hæc bonitas, seu æstimabilitas potest appellari, quasi physica, seu mixta, quatenus impedit malitiam moralem; non tamen fundat æstimabilitatem in ipso opere, ratione cuius Deus tantum debeat esse gratus operanti, quantum posset merito irasci contra non operantem, vt supra dictum est.

15
Inferre.
Vrgebis adhuc, præmium quod meretur de condigno actus dilectionis, non est minus quam supplicium, quod meretur actus odij; dilectio enim meretur condignè visionem Dei æternam, & summam voluptatem correspondentem pœnæ æternæ damni, & sensus, quam promeretur odium; ergo tantam bonitatem moralem habet dilectio, quanta est malitia odij; meritum enim & demeritum fundatur in bonitate, & malitia morali.

Respondeo negando consequentiam. Ratio est, quia dignitas pœnæ tota fundatur in sola malitia peccati: at dignitas præmij non fundatur in sola bonitate dilectionis; sed sumitur potissimè ex gratia habituali dignificante actum illum ad tantum præmium; nam si actus esset in subiecto sine gratia habituali, non mereretur de condigno vllum gradum gloriæ; vnde potius retorquetur argumentum, nam si æqualis esset valor dilectionis ad merendum cum valore peccati ad demerendum; mereretur ille actus etiam sine gratia habituali tantum præmium, quantum supplicium mereretur peccatum secundum se; quod tamen est falsum, vt suppono ex materia de merito.

16
In inferre.
Sed contra instabis, licet actus dilectionis secundum se non mereatur condignè vitam æternam, sed tamen dignificatus à gratia habituali, illam meretur; ergo vt sic habet tantum valorem ad merendum, quantum habet peccatum ad merendum supplicium; ergo vt sic tam potens erit dilectio ad placandum Deum, & per consequens ad satisfaciendum pro culpa, quam fuit efficax peccatum ad Deum rationabiliter indignandum; ergo saltem homo purus cum gratia habituali poterit condignè satisfacere pro culpa.

Respondeo concessio antecedenti, & prima consequentia, negando secundam, quia dilectio, vt dignificata per gratiam habitualemente necessariò supponit Deum placatum, & peccatum omnino remissum; quare non possumus intelligere in illo actu efficaciam ad satisfaciendum pro culpa, quam necessariò supponit condonatum. Cur autem non habeat valorem, ad satisfaciendum condignè pro culpa aliena, dicemus inferius sectione 8.

17
In inferre.
Nunc addo, etiam si contritio prout dignificata per gratiam, habeat tantum valorem ad merendum præmium, quantum habet peccatum ad merendum supplicium, non inde sequi, quòd habeat tantum valorem ad satisfaciendum; vnde etiam non inueniret Deum placatum, adhuc non posset homo per contritionem condignè satisfacere; plus enim requiritur ad satisfaciendum, quam ad merendum; quod quidem à posteriori possumus colligere hoc argumentò, quia contritio, vel alius actus bonus supernaturalis elicitus ab homine iusto habet vim, & valorem ad merendum de condigno præmium æternum, & de facto meretur augmentum gra-

Card. de Lugo de Incarnat.

tia, & gloriæ; & tamen in genere satisfactionis non habet vim ad satisfaciendum pro tota pœna temporali, quam ille homo tunc debebat, sed solum pro aliqua parte illius; non ergo habet ille actus etiam prout dignificatus per gratiam tantam vim ad satisfaciendum, quantum habet ad merendum; minus enim est auferre debitum pœnæ temporalis, v. g. vnus anni purgatorij, quam auferre ius ad quatuor, vel quinque gradus gloriæ æternæ; & tamen ille actus meretur hoc secundum, & non causat illud primum. Ratio autem à priori huius inæqualitatis illa videtur esse, quòd in ordine ad merendum præmium actus bonus consideratur secundum totam suam vim, & quasi operans sine aliquo contrario, atque ideo exerit totas suas vires ad mouendam liberalitatem præmiantis: at verò in ordine ad satisfaciendum, seu ad placandum, consideratur vt operans in præsentia robustissimi contrarij, nempe culpæ præteritæ, quæ habet magnam vim ad inferendam indignationem, vel supplicium: quare non est mirum si in præsentia huius contrarij temperetur actiuitas operis boni in ordine ad satisfaciendum, quia nimirum (vt infra videbimus) ex eo quòd Deus facile placetur, siue pro culpa, siue pro pœna, sequuntur magna inconuenientia, scilicet vilescere offensam Dei, & culpam apud homines, & facilius admitti, quod inconueniens non sequitur ex remuneratione, atque ideo simpliciter negandum est, quòd actus bonus etiam prout dignificatus per gratiam, habeat tantam vim ad satisfaciendum, quantum habet ad merendum præmium.

18
Supposito.
Est autem hæc doctrina præ oculis habenda ad defendendam id, quod communiter tradunt Theologi in materia de pœnitentia, scilicet per attritionem extra Sacramentum non tolli de condigno reatum culpæ venialis; nam quidquid sit de contritione, de qua etiam mihi probabile est, non esse condignam satisfactionem pro qualibet culpa veniali, sed solum auferre eam, tanquam congruam dispositionem, quam Deus semper acceptat, sicut etiam acceptatur in ordine ad remissionem peccati mortalis; de attritione tamen non videtur dubium, quòd non sit condigna satisfactio pro culpa veniali; alioquin nunquam remitterentur venialia de facto per confessionem factam de solis venialibus, iam enim supponerentur ablata per attritionem præcedentem, tanquam per satisfactionem condignam. Hoc ergo supposito, difficilè explicatur, quomodo attritio illa supernaturalis elicita ab homine iusto, & quæ habet valorem condignum ad merendum præmium gloriæ æternæ, non habeat vim ad id, quod est minus, scilicet ad tollendum reatum culpæ venialis. Hæc autem difficultas soluitur optimè ex principio supraposito, negando attritionem habere tantam vim in genere satisfactionis, quantum habet in genere meriti; nam ad merendum præmium non habet contrarium, vt dixi; ad satisfaciendum verò pro peccato veniali habet contrarium fortissimum, scilicet ipsam culpam, quæ exigit diuinam indignationem, & quæ vilesceret apud homines, si facile posset pro ipsa satisfieri.

Affertio ratio.

18

Difficultati

Solutio

